DE IURISIURANDI IN LITE ATTICA DECEM ORATORUM ÆTATE USU.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

IN UNIVERSITATE LUDOVICO-MAXIMILIANA

PHILOSOPHORUM ORDINE RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

CAROLUS MEDERLE.

MONACHII MDCCCCII.
TYPIS DR. C. WOLF & FIL.

DE IURISIURANDI IN LITE ATTICA DECEM ORATORUM ÆTATE USU.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

IN UNIVERSITATE LUDOVICO-MAXIMILIANA

PHILOSOPHORUM ORDINE RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

CAROLUS MEDERLE.

MONACHII MDCCCCII.
TYPIS DR. C. WOLF & FIL.

„Maximum remedium expediendarum litium in usum venit iurisiurandi religio."
Gaius.

Iurisiurandi apud Athenienses varia et multiplex erat consuetudo: iureiurando enim omnia cum aliis civitatibus foedera sanciebant, iurisiurandi in ipsa republica administranda summam fuisse auctoritatem testis est Lycurgus orator[1]): τὸ συνέχον τὴν δημοκρατίαν ὅρκος ἐστί· τρία γάρ ἐστιν ἐξ ὧν ἡ πολιτεία συνέστηκεν, ὁ ἄρχων, ὁ δικαστής, ὁ ἰδιώτης. Τούτων τοίνυν ἕκαστος τὴν πίστιν δίδωσιν. Atque de iureiurando in vita vulgari et in iure civili ac publico adhibito satis luculenter disputaverunt Ziebarthius[2]) et Hofmannus,[3]) ipsius autem iurisiurandi, quod fieri solebat in causis Atheniensium, perpetuam et perspicuam adhuc desideramus descriptionem; neque enim satis copiose iuris Attici interpretes de toto illo iurisiurandi usu disputaverunt et de nonnullis quaestionibus solvendis adversis frontibus inter se concurrerunt, ut rem totam diligenter examinatam in uno conspectu ponere fructuosum esse opus existimarem.

Ac primum quidem, si communem iudiciorum usum respicimus, in causis Atheniensium et partes et testes, ut vel

[1]) Lyc. or. in Leocr. 79.

[2]) De iureiurando in iure Graeco quaestiones, diss. Goett. 1892, et: Der Fluch im griechischen Recht, Hermes XXX (1895) p. 57 ff.

[3]) De iurandi apud Athen. formulis; diss. Darmstadt 1886; cf. etiam Ott, Beiträge zur Kenntnis des griechischen Eides, Leipzig 1896.

lex vel alia aliqua necessitas postulabat, iusiurandum praestitisse et oratores et ceteri auctores uno omnes ore consentiunt. Partium autem iurisiurandi duplex erat usus; nam iurabant et ad ius totum[1]) obtestandum[2]) et ad unum vel alterum factum probandum, quo etiam nos more utimur, cum ista iuris totius obtestatio plane abhorreat ab usu nostro.

Hoc de genere iurandi — litis obtestationem dico — ad hoc tempus nondum satis dilucide disputatum est, cum viri docti grammaticorum veterum de illa re adnotationibus inter se repugnantibus a recta interpretandi via seducti varias ut illi res eodem nomine appellaverint. Etenim grammaticorum alii διωμοσίαν, alii ἀντωμοσίαν appellant huius iurisiurandi rationem atque etiam miscent ac confundunt ea nomina idem illis significari rati, ut difficile sit cognitu, quos graviores testes ducas. Sunt autem singulorum graviora testimonia haec:

Pollux lib. VIII, 55: ἀντωμοσία (δὲ) ὅρκος, ὅν ὁ κατηγορούμενος ἀντομνύει, ἦ μὴν μὴ ἀδικεῖν· διωμοσία δὲ ὁ παρ' ἑκατέρου ὅρκος.

Suidas s. v. διωμοσία καί ἀντωμοσία: ὅταν οἱ κατηγοροῦντες ὀμνύωσιν, ὡς ἀληθῶς κατηγοροῦσιν, τοῦτο διωμοσία· ὅταν δὲ οἱ κατηγορούμενοι ὀμνύωσιν τὸν αὐτὸν ὅρκον διαλυόμενοι τὰ ἐγκλήματα, τοῦτο ἀντωμοσία.

Harpocratio s. v. διωμοσία: διωμοσία, ἡ κυρίως παρὰ τῶν διαδικαζομένων. (Δημοσθένης κατ' Ἀριστοκράτους.)

---

[1]) Quod non est, cur multis demonstrem; nam consentiunt de ea re et grammatici veteres et recentiores interpretes et ipsi loquuntur oratorum loci; cf. Heffter, Die athenische Gerichtsverfassung, Köln 1822, p. 299, Meier-Schoemann-Lipsius, Der attische Prozess, p. 823 ss., Ziebarth, in libro supra citato, p. 43 ss.; cf. etiam p. 21 s. huius libelli.

[2]) Hoc loco non praetereundum mihi videtur male hoc iusiurandum initio causae datum a Platnero (Der Prozess und die Klage bei den Attikern), Hefftero, Ziebarthio appellari litis contestationem; nam Romanorum lingua longe aliam rem significabat litis contestatio; cf. Fest. s. v. contestari litem!

Idem s. v. ἀντωμοσία: γράμματά τινα γράψαντες ἀποφέρουσιν πρὸς τὴν ἀρχήν, οἵ τε κατηγοροῦντες καὶ οἱ κατηγορούμενοι, περὶ ὧν ἂν ἡ δίκη· καλεῖται δὲ οὕτως, ἐπειδὴ ἀντώμνυον οἱ διώκοντες καὶ οἱ φεύγοντες, οἱ μὲν ἀληθῆ κατηγορήσειν, οἱ δὲ ἀληθῆ ἀπολογήσεσθαι.

Hesychius s. v. διωμοσία: ἡ ἀντωμοσία· ἑκάτεροι γὰρ ὤμνυον, ὁ μὲν ἐγκαλεῖν δικαίως, ὁ δὲ ἐγκαλεῖσθαι ἀδίκως.

Idem s. v. ἀντωμοσία: ἑκατέρου μέρους ὅρκος, τοῦ μὲν φεύγοντος, ὅτι μὴ ἠδίκησεν, τοῦ δὲ ἐγκαλοῦντος, ὅτι ἠδίκηται.

Etym. Magn. s. v. διωμοσία: ὅρκος ἐστίν, ὃν ὤμνυον οἱ φόνου ἀγῶνα διώκοντες ἢ φεύγοντες· ἀμφότεροι γὰρ ὤμνυον, ἦ μὴν ἀληθῆ λέγειν.

In medium haec proferenda putavi, ut intellegeretur, quam diversa essent quamque contraria. Cui igitur ex illis credamus?

Itaque quaestio gravissima nobis solvenda est, quaenam fuerit vera diomosiae et antomosiae ratio; hac enim re obscura sescenties gravissimas res quin confundamus fieri non potest.

Atque primum quidem mirer, si unum idemque institutum iure ac lege sanctum duobus nominibus diversis sit appellatum. Id Hudtwalckerus,[1]) ut omittam eos, qui ante illum de ea re scripserunt, arbitratus est: „Auf die Deponierung des Succumbenzgeldes und die Edition der Klage folgte, wie es scheint, sogleich der Eid für Gefährde von beiden Teilen, ἀντωμοσία und διωμοσία genannt.“ Cum autem ille non disputet nisi de arbitrorum iudiciis, negabimus recte eum talia protulisse; neque enim unquam diomosian apud arbitros litis obtestationis loco praestitam esse modo videbimus.

---

[1]) Über die öffentlichen und Privatschiedsrichter — Diäteten — in Athen. Jena 1812.

Similia Heffterus profert in libro subtilissime scripto, quem p. 3 citavi, p. 299: „Hatte sich der Streitpunkt, die formula iudicii, aus den gegenseitigen Einlassungen festgestellt und konnte hiernach zur Einführung der Sache in einen Gerichtshof geschritten werden, so wurde jeder Partei ein Eid in Bezug auf den Stand der Sache abgefordert, wobei sie wechselseitig ihre Angaben als wahr bekräftigten. Der Akt heisst Diomosie **oder** Antomosie; er war die Basis der weiteren gerichtlichen Verhandlungen, indem man sich auf das dadurch contestierte Prozessthema lediglich beschränken sollte, und der Gerichtshof nur allein darüber zu erkennen hatte." Quaecumque igitur causa ageretur, nullum fuisse discrimen inter diomosian et antomosian putat.

Idem censet Platnerus.[1])

Hos sequitur Philippi paululum quidem dubitans:[2]) „Hier (zu Anfang der ἀνάκρισις) findet sich, wenn wir von dem nicht mit lebendigen Beispielen belegbaren Angaben der Grammatiker absehen, die Bezeichnung ἀντωμοσία, auch wohl διωμοσία."

Grammaticorum fide nimis nititur Lipsius:[3]) „Sollte die Sache sogleich in erster Instanz an einen Gerichtshof gelangen, so wurden zuvörderst beide Parteien, der Kläger auf seine Klage, der Beklagte auf seine Gegenrede vereidigt. Der Eid des Klägers hiess nach einigen Grammatikern eigentlich προωμοσία, der des Beklagten ἀντωμοσία, **beide zusammen** διωμοσία. Doch wird auch der Name ἀντωμοσία für beide gebraucht, und διωμοσία bezeichnet nicht bloss beide zusammen, sondern oft einen von beiden."

Diomosian autem mutuum accusatoris atque rei iusiurandum esse Lipsius affirmat nisus loco illo Pollucis (VIII, 55):

---

[1]) Der Prozess und die Klage bei den Attikern, p. 341.

[2]) Der Areopag und die Epheten, Berlin 1874 (p. 89).

[3]) Der att. Prozess, p. 825 ss.

διωμοσία ὁ παρ' ἑκατέρου ὅρκος. Idem censuit Westermannus.[1]) Nescio an ita Pollux vocabulum diomosiae intellexerit; sed verba grammatici etiam hoc significare possunt: diomosia et accusatoris et accusati iusiurandum est; quod probabilius puto, cum etiam Suidas (v. supra) eodem modo rem definiat. Ut igitur recte sentiant, qui illud „ὁ παρ' ἑκατέρου ὅρκος" et accusatoris et rei iusiurandum intellegunt, ex Pollucis nota concludere non possunt aliud continuisse diomosian atque antomosian. Ut autem Westermanni et Lipsi sententia recta sit, errasse grammaticum mox demonstrabimus.

Proxime ad veritatem accessisse videtur Ziebarthius, cum dicat in libro suo p. 44: „atque primum accurate distinguenda sunt διωμοσία et ἀντωμοσία, cum saepius oratores dicant, quantum intersit inter actionem causae criminalis et civilis," nisus loco illo Antiph. in or. de Herod. caede § 88. Statuit igitur diomosian iusiurandum in causis homicidii fuisse. Quod ad suum arbitrium suspicatus est, cum ex illo loco minime appareat in ceteris causis iusiurandum, etsi levius erat, non diomosian appellatum esse. Et cum hoc adnotat: „quamquam uno loco (Isae. de Hagn. her. 6) prorsus eadem sententia dicitur διωμοσία atque ἀντωμοσία; saepius confunduntur verba διομνύναι (scribendum est διόμνυσθαι, cf. infra p. 15) et ἀντομνύναι, veram diomosiae vim et naturam eum non perspexisse apparet, ut huius quoque de ea re disputatione parum adiuvemur ad quaestionem solvendam.

Ottius[2]) vero, qui ultimus de hac re scripsit, ex Ziebarthio hausisse videtur; nam compares Ottii librum p. 83 et Ziebarthii p. 44 (διωμοσία = iusiurandum in caedis causis), Ottii p. 85: „ἀντομνύναι = in der Anakrisis eidlich versichern (ohne weitere Bedeutung), et Ziebarthii p. 43: (usus

---

[1]) Commentatio de iurisiurandi iudicum Atheniensium formulis, quae exstat in Dem. or. in Timocr. pars I p. 9.

[2]) Beiträge zur Kenntnis des griechischen Eides; diss. Leipzig 1896.

partium iurisiurandi in initio causarum) formula sola litis contestationis videtur esse, quae in initio causae usu veniebat neque multum valebat."

Rectius tum demum de ea re iudicabimus, cum, quae sit ipsius vocabuli diomosiae vis, consideraverimus. Westermannum enim et Lipsium et qui forte eos secuti sunt, statuisse manifestum est praepositionis διὰ vim in voce διωμοσίᾳ eandem esse quam in verbis δια-λέγεσθαι, inter se colloqui, δια σκώπτειν, inter se illudere, δια-κελεύεσθαι, inter se cohortari, ita, ut verbum cum ea praepositione compositum mutuum aliquod factum indicaret, h. e. διωμοσία esset „iunctum accusatoris atque rei iusiurandum".[1]) Sed eam esse praepositionis huius vim in διωμοσίᾳ quam in verbis δι-ειδέναι, accurate scire, δι-ολλύναι, plane perdere, δι-ισχυρίζεσθαι, vehementer affirmare, δι-απειλεῖν, vehementer minitari, δια-ψέγειν, vehementer vituperare, haud difficile sit intellectu, ita, ut δι-όμνυσθαι idem significet quod magnum vel maximnm iurare iusiurandum; quae quidem verbi explicatio oratorum locis vel maxime confirmatur; nam in ipsis homicidii causis diomosian appellare iusiurandum oratores cernimus; iurabatur autem apud Areopagitas atrocissima exsecratione adiecta, cuius rei testis est Demosthenes[2]): „ἐν Ἀρείῳ πάγῳ . . . πρῶτον μὲν διομεῖται κατ' ἐξωλείας αὐτοῦ καὶ γένους καὶ οἰκίας", et appellat Antiphon hoc iuramentum ὅρκον μέγιστον καὶ ἰσχυρότατον.[3])

Sed non partes tantum, verum testes quoque id iusiurandum ibi dabant, quod elucet ex verbis sequentibus eiusdem loci Antiphontis: „δέον αὐτοὺς (τοὺς μάρτυρας) τὸν αὐτὸν ὅρκον σοὶ διομοσαμένους."

Credas igitur diomosian omnino iusiurandum sive partium sive testium apud Areopagitas (et ephetas) appellatum esse.

---

[1]) Westermannus; cf. p. 7, n. 2 supra.

[2]) Dem. or. c. Aristocr. 67.

[3]) Antiph. de Her. caede 11.

At cum etiam ceteris in causis oratores verbo διόμνυσθαι uti animadvertamus, qui ista cum ea re convenit opinio? Quaerendum igitur est, utrum tantum idem significet quod simplex verbum ὀμνύναι an praecipuum etiam in ceterorum iudiciorum usu obtineat locum. Quod ut recte intellegamus, cognoscendi nobis sunt aliquot loci idonei.

Invenimus adhibitum verbum διόμνυσθαι in Dem. or. in Eubul. 22: τῶν μὲν τοίνυν πρὸς ἀνδρῶν τῷ πατρὶ συγγενῶν ἀκηκόατε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ μαρτυρούντων καὶ διομνυμένων;[1]) qua autem re hoc testium iuramentum differat a vulgari communique iurandi genere, ex sequentibus verbis elucet: ὧν οὐδεὶς δήπου, παραστησάμενος τοὺς συνεισομένους αὐτῷ τὰ ψευδῆ μαρτυροῦντι, κατὰ ἐξωλείας ἐπιορκεῖ. Videmus testes iuriiurando suo similem exsecrationem adiunxisse atque ante Areopagitas et ephetas in usu erat, ob eamque causam maximi momenti esse iusiurandum affirmat is, qui causam dicit, cum nemo non summopere vereretur testium id laedere.

Similiter rem se habere puto in eiusdem or. in Timoth. 67: οὔπω τοίνυν πολὺς χρόνος ἐστὶν ἐξ οὗ ἐν τῷ δήμῳ πάλιν διωμόσατο μὴ εἶναι αὐτῷ ἐφόδια τῷ γήρᾳ ἱκανά; his cum verbis si comparaveris ea, quae dicit orator in § 66: ἴστε γὰρ τοῦτον ἐν τῷ δήμῳ ὀμόσαντα καὶ ἐπαρασάμενον αὑτῷ ἐξώλειαν, etsi concedimus illo πάλιν haud necessario eiusdem formae iusiurandum indicari, tamen facile putes hoc διωμόσατο idem valere quod paulum supra ὀμόσαντα καὶ ἐπαρασάμενον αὑτῷ ἐξώλειαν, praesertim cum persaepe istum magna iuraiuranda dicere paulo ante orator iudices monuerit (§ 65).

Iam in Dem. or. de cor. 283 καταρώμενος καὶ διομνύμενος tam arte coniuncta videmus, ut uberiorem tantum syno-

---

[1]) Male Ottius in libr. suo p. 71/72 dicit nullius momenti esse illo loco iurisiurandi mentionem; immo ipso illo iureiurando ut ante alia solemni niti videmus eum, qui orationem dicit.

nymis usurpatis ac copiosiorem orationem Demosthenem reddidisse appareat.

Ex his igitur cernimus diomosiae non solum in Areopago, verum etiam in ceteris iudiciis et in communi vita sollemnem exsecrationem esse adiectam, h. e. magnum et sanctum iusiurandum praeter alia diomosian fuisse.

Nunc autem iusiurandum, quo partes ius suum obtestabantur, ceteris in causis non fuit tantae auctoritatis quantae in homicidii causis, de quibus oratores semper verbo διόμνυσθαι utuntur, immo multo minoris.

Quod nobis paucis demonstrandum est. Primum in universum id nobis diserte testatur Antiphon in oratione de Herod. caed. hab. 88: αὐτῶν δὲ τούτων ἕνεκα οἵτε νόμοι καὶ αἱ διωμοσία καὶ τὰ τόμια καὶ αἱ προρρήσεις καὶ τἆλλα ὁπόσα γίγνεται τῶν δικῶν ἕνεκα τοῦ φόνου, πολὺ διαφέροντά ἐστιν ἢ ἐπὶ τοῖς ἄλλοις.

Videmus autem hoc etiam ex toto illius orationis cursu. Nam qui eam dicit, caedis accusatus erat, sed non ut lex et mos iudicialis iubebant, γραφῇ φόνου, sed ἀπαγωγῇ κακούργων; itaque ob id ipsum accusatori diffidendum esse dicit, quod illud maximum iusiurandum veritus ἀνώμοτος[1]) se accusasset, et in fine sic adloquitur iudices (90): πῶς ἂν οὖν ὀρθῶς δικάσαιτε φερὶ αὐτῶν; εἰ τούτους ἐάσετε τὸν νομιζόμενον ὅρκον διομοσαμένους κατηγορῆσαι.

Quid quod cum de caede agitur, summam audaciam summamque improbitatem exprobrant ei oratores, qui falso iuravit,

---

[1]) Praeclarissime enim Lipsius ita exposuit illud ἀνώμοτος, ut rhetorice dictum esse putaret; (p. 826 n) quod autem Ziebarthius (cf. l. eius p. 45) ob hanc causam fidem toti loco denegandam esse putavit, quod sine diomosia causa apud Areopagitas acta non esset, hoc ipsum falso suspicatus est apud Areopagitas actam esse; nam hoc ne A. quidem affirmat, immo ea re iniuriam facere accusatorem, quod non apud Areopagum praestita diomosia defenderet ius suum, sed in foro: ἐνταυθοῖ πεποιήκασιν τὴν κρίσιν ἐν τῇ ἀγορᾷ (10).

at nunquam aut perraro ceteris de rebus ἐπίορκον quemquam appellant. Illud autem non ita mirabile est; cum enim omnium rerum, non modo gravissimarum, sed etiam tenuissimarum iura essent constituta, fieri non potuit, quin in sescentis cotidie minutarum rerum causis in consuetudinem iusiurandum abiret atque de sanctitate et auctoritate eius detraheretur.

Tum vero id concludere possumus ex loco illo in Dem. or. c. Aristocr. supra p. 8 allato. Cum enim Demosthenes ea re insigne esse iusiurandum apud Areopagitas dicat, quod ibi iurabatur κατὰ ἐξωλείας αὑτοῦ καὶ γένους καὶ οἰκίας, sequitur, hoc, de quo quaeritur, iuramentum non continuisse illam sollemnem exsecrationem. Ipsa autem exsecratio discrimen faciebat inter magna et parva iuraiuranda. Nam ex tribus constabat omne iusiurandum: ex rebus, de quibus dandum erat, ex deorum advocatione, ex exsecratione addita, si periurium diceretur. Quo igitur atrocior exsecratio erat, eo maius habebatur iusiurandum, quo levior illa, eo levius hoc; ultima autem exsecratio κατ' ἐξωλείας erat.

Pertinere autem illum locum ad litis obtestationem, hoc est a Demosthene comparari litis obtestationem in caedis causis cum obtestatione in ceteris data, elucet ex verbis sequentibus eius loci: τῷ δὲ φεύγοντι τὰ τῆς διωμοσίας ταὐτά; nam iurabat utraque pars ad ius obtestandum.[1])

Sequitur, si recte diomosian diximus iusiurandum fuisse maximum sollemni addicta exsecratione, nunquam illam litis obtestationis loco esse usurpatam nisi in causis homicidii, in ceteris ita tantum adhiberi potuisse, ut ad unum aliquod factum probandum summa quae posset fides ultimis istis atque inauditis exsecrationibus daretur.

---

[1]) Cf. infra p. 15, n. 2.

Ac profecto ne unus quidem ex oratoribus locus inveniri potest, quo haec opinio refellatur. Quem enim Ziebarthius[1]) locum attulit, ubi diomosian atque antomosian eadem sententia litis obtestationis loco adhibitas esse putat, non eo conturbatur nostra opinio, immo vehementer ille erat. Locus autem hic est: καίτοι τόν γε πράττοντά τι δίκαιον οὐ προσῆκεν ἀπορεῖν, ἀλλ' εὐθὺς λέγειν καὶ μὴ μόνον τοῦτο ποιεῖν, ἀλλὰ καὶ διόμνυσθαι καὶ τοῦ γένους παρέχεσθαι μάρτυρας, ἵνα μᾶλλον ἂν ἐπιστεύετο ὑπὸ ὑμῶν. Νῦν δ' ἐφ' οἷς ἀπόκρισιν οὐ δέδωκεν, οὐ μάρτυρας παρέσχετο, οὐχ ὅρκον ὤμοσεν, οὐ νόμον ἀνέγνωκεν, οἴεται δεῖν ὑμᾶς — καταγνῶναι ταύτην τὴν εἰσαγγελίαν.

Quem locum subtilissime Lipsius[2]) interpretatus est demonstrare conatus nullam causam sine iureiurando esse instructam. Existimavit igitur illud διόμνυσθαι ad litis obtestationem pertinere.

Cuius opinio funditus mihi posse videtur repelli.

Primum enim verba eius: „Theopomp sagt also nicht, dass überhaupt gar kein Eid geleistet sei, sondern nur, dass nicht das beschworen sei, worauf es eigentlich ankomme. Dass in solchen Fällen der Verwandtschaftsgrad, aus welchem man das Recht auf eine Erbschaft herleitete, genau angegeben und in der Diomosie beschworen werden musste, erhellt aus Isaios von der Erbschaft des Astyph. 34“, subtiliter quidem, sed non recte dicta esse mihi concedas.

Nam et meo iure mihi quaerere videor, qui fieri potuerit, ut, cum lege cautum esset, ut necessitatis gradus in iusiurandum iniungeretur, magistratus, quominus omissa illa re iuraretur, non prohiberet.

Neque ex loco Is. de Astyph. her. 34 necessario efficitur, quod voluit Lipsius; nam compares cum hoc loco § 1 eius-

---

[1]) Cf. supra p. 7.

[2]) Cf. libr. eius p. 825, n. 178.

dem orationis: πειράσομαι δ' ὑμῖν ἐπιδεῖξαι ὅπερ ἀντώμοσα, ὡς οὔτε ἐποιήσεν ἐκεῖνος υἱὸν οὔτε διαθήκας κατέλιπεν, οὔτε προςήκει ἔχειν τὰ 'Αστυφίλου οὐδενὶ ἄλλῳ ἢ ἐμοί.

Satis igitur fuit in universum ἀντομνύναι κατὰ γένος aut κατὰ διαθήκας,[1]) cum probatione (πειράσομαι ἐπιδεῖξαι!) demonstrandus esset gradus necessitatis.

Tum illius opinioni obstat ipse sententiarum orationis ordo sermonisque cursus. Is enim, unde petitur, sic adloquitur iudices: 'Αναβιβασάμενος αὐτὸν ἐναντίον ὑμῶν ἐρωτήσω τὰ ἐν τοῖς νόμοις ὑπαναγιγνώσκων et adversarium: σὺ δ' ἀνάβηθι δεῦρο, et sic pergit dicere: φῇς τῶν 'Αγνίου χρημάτων τὸ ἐπικλήριον εἶναι τοῦ παιδός· δεῖ δή σε τῆς ἀγχιστείας, ὅτι ὁ παῖς 'Αγνίᾳ προςήκει, τὸ γένος εἰπεῖν· φράσον οὖν τουτοισί (§ 4 ss.); cum autem ille aut taceat aut nihil dicat in rem, hic iudices monet eum, si iustam ageret causam, probe responsurum atque etiam iureiurando comprobaturum responsum fuisse. Vides omnia haec pertinere ad praesentem actionem apud iudices, ac praeterea voce εὐθύς quominus aliter sentiamus prohibemur (προςῆκεν οὐ μόνον εὐθὺς λέγειν, ἀλλὰ καὶ διόμνυσθαι). Quid igitur hoc διόμνυσθαι ad litis obtestationem in anacrisi datam?[2])

Dein hoc non est silentio praetereundum omnino hoc loco non agi nisi de argumentis, quibus petenti causa esset defendenda, de legibus, testimoniis; quorum in numero etiam iusiurandum est ponendum.

Denique ut orator ipse minime miscuit verba διόμνυσθαι et ἀντομνύναι hoc loco, ita Lipsius de Astyph. her. 34 ad suum arbitrium istud iusiurandum appellat διωμοσίαν, cum diserte orator dicat: ἑκατέρῳ οὖν ἡμῶν, ἐξ ὧν ἀντωμόσαμεν, ψηφίσασθε.

---

[1]) Cf. Dem. or. in Macart. 5: παρακαταβάλλειν τοῦ κλήρου ἢ κατὰ γένος ἢ κατὰ διαθήκας.

[2]) Cf. infra p. 23.

Cum igitur diomosian nisi in homicidii causis litis obtestationis loco adhiberi non potuisse exploratum habeamus, antomosia autem ceteris de rebus persaepe partes totum ius esse obtestatas cognoscamus,[1]) efficitur nullo modo licere confundere diomosian et antomosian.

Quod autem uno loco apparere videtur antomosian etiam in homicidii causis pariter ac diomosian praestitam esse, facile id aliter se habere probabimus. Invenitur autem locus apud Antiph. in or. in noverc. de venef. 8: πῶς οὖν εὔορκα ἀντομωμοκὼς ἔσται φάσκων εὖ εἰδέναι; filius enim illius feminae veneficae apud iudices eius causam agit atque de eo illa verba frater accusans profert. Quis igitur est, dixerit quis, quin videat in eadem oratione de eadem re, i. e. de caede, oratorem ista duo vocabula plane eadem sententia usurpasse (nam compares § 28, ubi de eodem iureiurando dicitur διόμνυσθαι)? Recte illud quidem; at tamen vel plurimum interest inter hanc antomosian et eam, quae de ceteris rebus dabatur; namque si ipsum nomen intuentes antomosiae id respicimus antomosian dici de quovis iureiurando alteri cuidam iuriiurando opposito, iam cognoscimus hoc ἀντομνύναι idem significare qnod ἀντι-διόμνυσθαι, quippe cum saepius simplex verbum ὀμνύναι pro διόμνυσθαι legamus.

Eorum igitur quae adhuc disputavi summa haec est:

Διωμοσία iusiurandum est

1) partium litigantium in homicidii causis ad ius obtestandum adhibitum;
2) testium in homicidii causis adhibitum;
3) et partium et testium ceteris in causis ad unum factum probandum usurpatum;
4) omnino in vita communi sollemniter datum.

---

[1]) Dem. or. ad Macart. 3; Isocr. de Zeugit. 2; Isaeus de Dicaeog. her. 2 et 4; idem de Astyph. her. 1 et 34 etc.

'Αντωμοσία

1) iusiurandum est omnino alteri cuidam oppositum;
2) iusiurandum partium litigantium in omnibus causis, exceptis caedis, ad ius obtestandum datum.

Addo oratores, cum de diomosia loquantur, medio tantum genere verbi uti, cum ceteri auctores etiam genus activum usurpent; contra non legimus ἀντόμνυσθαι pro ἀντομνύναι uno loco excepto, qui est in Isaei or. de Dicaeog. her. 16: μελλόντων δ' ἡμῶν ἀντμόνυσθαι διεμαρτύρησε Λεωχάρης; sed haud scio an etiam hoc loco scribendum sit ἀντομεῖσθαι; quod quidem bene cum verbo μέλλειν coniungi potest.[1])

Redeo ad grammaticos; quos omnes fere ea re peccasse apparet, quod nullum discrimen fecerunt inter caedis et ceteras causas; sed ut quisque de iureiurando locum legebat vel ex nota cuiusdam sumebat aliqua ad alterumutrum genus illius iurisiurandi, quo partes obtestabantur ius, pertinente, ita in universum de re suam faciebat adnotationem. Quam ob rem hac quidem de re parum gravis est illorum auctoritas.

Iam cognoscamus, quid continuerit ista litis obtestatio. Qua in re disserenda id potissimum respiciendum, quod modo exposuimus vel plurimum interesse inter diomosian et antomosian; et iam supra docuimus exsecrationes illas κατὰ ἐξωλείας αὐτοῦ καὶ γένους καὶ οἰκίας, quae ultimae iuramentis adiciebantur, imprimis diomosiae proprias fuisse. Et iurabat uterque,[2]) accusator, ὡς ἔκτεινεν is, quem persequebatur, accusatus, ὡς οὐκ ἔκτεινε; quam formulam legitimam fuisse ex omnibus videmus locis ad hanc rem pertinentibus, atque id ipsum accusatori iurandum fuisse, nihil aliud se de adversario prolaturum esse nisi quod ad ipsam caedem pertineret,

---

[1]) Isaeus orator post verbum μέλλειν et praesens tempus et futurum solet usurpare, ut ex temporis apud illum usu nihil concludere possimus.

[2]) Cf. locos a Philippio p. 90 l. s. allatos et alios.

ex loco Antiphontis apparet: ἦ μὴν μὴ ἄλλα κατηγορήσειν ἢ εἰς αὐτὸν τὸν φόνον, ὡς ἔκτεινα, ἐν ᾧ οὔτε ἂν κακὰ πολλὰ εἰργασμένος ἡλισκόμην ἄλλῳ ἢ αὐτῷ τῷ πράγματι, οὔτ' ἂν πολλὰ ἀγαθὰ εἰργασμένος τούτοις ἂν ἐσωζόμην τοῖς ἀγαθοῖς (de Her. caed. 11).

Equidem aliquantulum miror, si hoc continuerit accusatoris iusiurandum. Nam ipsa lege cautum erat, ne accusator alia atque ea quae ad ipsam probationem pertinerent proferret.[1]) Quam legem accurate describit Lucianus: ὁπόταν (γάρ) ἀνελθοῦσα (ἡ βουλὴ ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου) ἐς τὸν πάγον συγκαθέζηται φόνου ἢ τραύματος ἐκ προνοίας ἢ πυρκαιᾶς δικάσοντες, ἀποδίδοται λόγος ἑκατέρῳ τῶν κρινομένων καὶ λέγουσιν ἐν τῷ μέρει, ὁ μὲν διώκων, ὁ δὲ φεύγων, ἢ αὐτοὶ ἢ ῥήτορας ἀναβιβάζονται τοὺς ἐροῦντας ὑπὲρ αὐτῶν· οἱ δ' ἔστ' ἂν μὲν περὶ τοῦ πράγματος λέγωσιν, ἀνέχεται ἡ βουλὴ καθ' ἡσυχίαν ἀκουούσα· ἢν δέ τις ἢ φροίμιον εἴπῃ πρὸ τοῦ λόγου, ὡς εὐνουστέρους ἀπεργάσαιτο αὐτούς, ἢ οἶκτον ἢ δείνωσιν ἔξωθεν ἐπάγῃ τῷ πράγματι, — ὁ κήρυξ παρελθὼν κατεσιώπησεν εὐθὺς οὐκ ἐῶν ληρεῖν πρὸς τὴν βουλὴν καὶ περιπέπτειν τὸ πρᾶγμα ἐν τοῖς λόγοις, ὡς γυμνὰ τὰ γεγενημένα οἱ Ἀρεοπαγῖται βλέποιεν.[2]) Ex hoc loco videmus eam legem ad utramque partem pertinuisse.

At cur iureiurando confirmandum erat tam sollemni, quod ipsa lege partes iubebantur facere? Nonne statim periurii atrocissimi convinci poterat is, qui fallere ea re conabatur? Quid ultro lex sibi vellet? An miscuit de industria illo loco Antiphon, quae iusiurandum et lex iubebant, quod, qui istud iusiurandum dedisset, etiam lege illa teneretur? Utcumque autem res se habet, minime partes iureiurando suo se vera prolaturas esse promittebant; nam iurantes ὡς ἔκτεινε et ὡς οὐκ ἔκτεινα non se in ipso facinore probando vel negando verum dicturas esse affirmabant.

[1]) Cf. Philipp. p. 91, n. 1.

[2]) Lucian. Anachars. c. 19.

Ad hoc iurare debebat is, qui accusabat, se cum homine occiso cognatione coniunctum esse, cuius rei testis est Demosthenes: κελεύει γὰρ ὁ νόμος τοὺς προςήκοντας ἐπεξιέναι μέχρι ἀνεψιαδῶν· καὶ ἐν τῷ ὅρκῳ διορίζεται, ὅτι προςήκων ἐστί, κἂν οἰκέτης ᾖ, τούτων τὰς ἐπισκήψεις εἶναι.[1])

Hoc autem sollemne iusiurandum praestabant per atrocissimas caedis ultrices deosque inferos, τὰς σεμνὰς θεὰς ἐν Ἀρείῳ πάγῳ καὶ τοὺς ἄλλους θεούς, οὓς ἐκεῖ διόμνυσθαι νόμιμόν ἐστιν, idque iurabant οὐ τὸν τυχόντα τρόπον, ἀλλ᾽ ὃν οὐδεὶς ὄμνυσ᾽ ὑπὲρ οὐδενὸς ἄλλου, στὰς ἐπὶ τῶν τομίων κάπρου καὶ κριοῦ καὶ ταύρου, καὶ τούτων ἐσφαγμένων ὑφ᾽ ὧν δεῖ καὶ ἐν αἷς ἡμέραις καθήκει, ὥστε καὶ ἐκ τοῦ χρόνου καὶ ἐκ τῶν μεταχειριζομένων ἅπαν ὅσον ἔσθ᾽ ὅσιον πεπρᾶχθαι.[2]) Cum autem hostias mactatas tangerent, eandem sibi, si periurium dicerent, sortem deprecabantur; et illas mactates esse a sacerdotibus, qui furiarum sub Areopagi radicibus fano praeerant, idque illis diebus, qui dis inferis sacri essent, h. e. tricesimo cuiusque mensis die, verisimillimum est.

Hoc quem modo citavi loco oratio est de iudicio Areopagitico; sed diomosian etiam in quattuor aliis iudiciis, ubi de caede agebatur, esse praestitam, huic rei documento est locus quidam eiusdem orationis § 63: οὗ γὰρ οὐ κλῆσις, οὐ κρίσις, οὐ μαρτυρία συνειδότος, οὐ διωμοσία, ἀλλ᾽ ἀπὸ αἰτίας εὐθὺς ἡ τιμωρία γέγραπται, καὶ ταῦθ᾽ ἣν ἀπαγορεύουσιν οἱ νόμοι, τί ἂν ἄλλο τις εἴποι; καίτοι ταῦτα πάντ᾽ ἐπὶ πέντε δικαστηρίοις γίγνεται προςτεταγμένα τοῖς νόμοις.

Utramque autem partem in diomosia iurando obstrictam esse iam commemoravimus. Quae res primum nobis intuentibus mira videtur ac paene obscura. Philippi quidem[3]) eo ausus est progredi, ut inde Atheniensium ius male constitutum

---

[1]) Dem. or. c. Euerg. et Mnesib. 72.

[2]) Dem. or. c. Aristocr. 68.

[3]) Phil. p. 91 ss.

fuisse concluderet, cum fieri non potuisse putaret, quin in omnibus caedis causis alteruter peieraret. Quam in opinionem eo adductus est, quod hoc iusiurandum mutuum de ipsa facti veritate praestitum esse arbitratus est. Haec enim de ea re profert: „Man könnte zwar den eben angeführten Stellen (p. 90 und 91) gegenüber meinen, der Eid habe sich nicht auf das Faktum selbst erstreckt, sondern auf die Überzeugung des Schwörenden hinsichtlich der Umstände. Dann konnte immerhin die eine Aussage thatsächlich Falsches enthalten, ohne subjektiv unwahr zu sein, obwohl es klar ist, dass auch dann die Forderung vielfach zu einem Meineide führen musste. Aber es scheint doch nach andern Stellen vielmehr, als habe man den Eid einfach auf das Faktum abgelegt, denn der Eid galt als Meineid (ἐπιορκία), sobald das thatsächlich Ermittelte dem Inhalte der durch den Eid bestätigten Aussage widersprach.“ Quibus autem nititur locis Demosthenicis, his non id nobis persuadere potest. Nam in oratione contra Euergem et Mnesibulum Demosthenes accusatorem consulentem inducit ἐξηγητάς de homicidii quadam causa. Illi autem dissuadentes ei, ne lege agat apud regem sacrorum, sic pergunt dicere: ὥστ' εἰ διομεῖ ἐπὶ Παλλαδίῳ αὐτὸς καὶ ἡ γυνὴ καὶ τὰ παιδία καὶ καταράσεσθε αὐτοῖς καὶ τῇ οἰκίᾳ, χείρων τε δόξεις πολλοῖς εἶνει, κἂν μὲν ἀποφύγῃ σ', ἐπιωρκηκέναι, ἐὰν δὲ ἕλῃς, φθονήσει. At hercule multum interest inter δόξεις ἐπιωρκηκέναι et ἐπιώρκηκας, ut interpretatur ille; tantum quidem quantum differt a specie periurii periurium absolutum. Ceterum non eam ob causam, quod ipse non sceleris testis et spectator fuerit, ἐξηγηταί dissuadent, sed ob illam solam, quod non sit servae cognatione coniunctus; cum autem non ipse sceleri ille adfuisset, nullo modo iusiurandum ab eo de facti veritate ipsa exigi poterat.

De illo vero in oratione in Neairam habita loco: „ἐξελεγχθεὶς δ' ἐπιορκῶν καὶ ψευδῆ αἰτίαν ἐπιφέρων, καὶ καταφανὴς γενό-

μενος μεμισθωμένος ὑπὸ Κηφισοφῶντος καὶ Ἀπολλοφάνους — ἀπῆλθεν ἐπιωρκηκὼς καὶ δόξας πονηρὸς εἶναι“, sic est statuendum: argumenta, quibus reus iniuste se accusatum esse probasset, eiusmodi fuisse (καταφανὴς γενόμενος μεμισθωμένος), ut nullo pacto iudicibus dubium esse posset, quin accusator contempta iurisiurandi religione iurasset. Ex his igitur elucet non utique periurum habitum esse istum, qui inferior in agendo fuerat, si quidem ex sui animi sententia iuravisse videbatur.

Nec tamen illud praetereundum est illis quos citavimus locis non esse orationem nisi de accusatore; qui igitur legis eius auctor fuerat, id ea voluit cavere, ne quis temere aut insolenter tam grave crimen in quemquam iaceret.

At luce clarius est iusiurandum rei in eiusmodi quidem causa pertinuisse ad ipsam veritatem. Sed cur licebat ei opponere iusiurandum suum adversarii iuriiurando? Nonne hoc erat ipsum periurium lege iubere? Negabimus, cum quae fuerit causa et finis huius iurisiurandi, consideraverimus. Apparet enim hoc spectasse legislatorem, ut accusatus, si culpae sibi conscius esset, fide ac simpliciter facinus confiteretur ac tantam perniciem in semet ipsum et in omnem gentem suam illis iuramentis sacris congerere vereretur; si nihilo minus culpae conscius sibi iurabat, non lex, verum ipsius nequitia periurii erat causa. Itaque tam saepe τόλμαν oratores dicunt esse praestare tantum iusiurandum nec aliud significant nisi omnino reo tam iniustam causam defendendam non fuisse. Luculentum huius rei exemplum deprendimus in Antiph. or. de venef. § 28: θαυμάζω δὲ ἔγωγε τῆς τόλμης τοῦ ἀδελφοῦ καὶ τῆς διανοίας, τὸ διομόσασθαι ὑπὲρ τῆς μητρὸς εὖ εἰδέναι μὴ πεποιηκυῖαν ταῦτα. Haec autem accusatoris verba idem spectare quod illa in § 5: θαυμάζω δ' ἔγωγε καὶ τοῦ ἀδελφοῦ, ἥντινά ποτε γνώμην ἔχων ἀντίδικος καθέστηκε πρὸς ἐμέ, quis est, quin cognitum compertumque habeat? Tantum igitur abest, ut vituperemus ipsius instituti rationem, ut admirationi nobis sit.

Qui enim hanc legem tulit, inter eos fuit cives, quorum tanta erat morum innocentia, tanta animi religio, tanta fides, ut in sola deorum obtestatione ponere posset causarum eventum; cum quidem mutatis temporibus omnis fides omnisque pietas ex animis exstincta sophistarumque doctrinis civium de rebus humanis et divinis conturbatae essent opiniones, huic aetati non iam convenisse tale institutum quis est, qui miretur? Neque aliud verba illa Platonis a Philippio in medium prolata (p. 95) valent. Nam quo spectare putas illud: „διδοὺς περὶ ἑκάστων τῶν ἀμφισβητουμένων ὅρκον τοῖς ἀμφισβητοῦσιν ἀπηλλάττετο ταχὺ καὶ ἀσφαλῶς“ nisi ut ei, qui tum iurare audebat, fidem iudex habuerit eoque fisus iureiurando iudicarit? Non igitur id queritur Plato, quod mala lege cives culti utantur, sed quod lex, quae Radamanthi temporibus saluberrima fuerit, mutatis temporibus hominumque moribus non mutetur vel potius tollatur.[1])

Ceteris vero de causis, hoc est in antomosia, etiam reum saepe et simul accusatorem pie, hoc est ex sui animi sententia, ut neuter periurus esset, iurasse apertum est.

Ceterum Philippius negat etiam reo licuisse iurare[2].) Quam opinionem paucis plane refellemus. Videtur enim vir doctus nimis neglegenter legisse illum locum Platonicum, cuius modo mentionem fecimus. Nam sic Plato eo loco diserte dicit: ἐν γὰρ λήξεσι δικῶν — ἐξαιρεῖν χρὴ τοὺς ὅρκους τῶν ἀντιδικούντων ἑκατέρων, καὶ τὸν λαγχάνοντά τῳ τινα δίκην τὰ μὲν ἐγκλήματα γράφειν, ὅρκον δὲ μὴ ἐπομνύναι, καὶ τὸν φεύγοντα κατὰ ταὐτὰ τὴν ἄρνησιν γράψαντα παραδοῦναι τοῖς ἄρχουσιν ἀνώμοτον, quem locum cur solas ad capitales causas referamus causam nullam habemus.

Praeterea iam Lipsius rectissime monuit illius sententiam

[1]) Cf. etiam Romanorum usum apud „Danz, Der sacrale Schutz“, imprimis p. 202 ss.

[2]) Scilicet in antomosia.

ipso nomine antomosiae repelli. Nam ἀντι-ωμοσίαν alteri cuidam ὅρκῳ opponi manifestum est; sic etiam nonnulli scholiastae vocabulum explicant, velut schol. ad Aesch. de fals. leg. 270: ἀντωμοσία ἐστὶν ἐπὶ δίκης· διὰ γὰρ τὸ ὀμνύναι ἑκατέρους, τὸν μὲν ἐγκαλοῦντα, ὅτι ἠδίκηκας, τὸν δὲ ἐγκαλούμενον, ὅτι ἠδίκημαι ἢ ὅτι ἡ πόλις ἠδίκηται, εἴρηται ἀντωμοσία, et schol. ad Aristoph. vesp. v. 543: ἀντι-ωμοσίαι δ᾽ ἐκαλοῦντο, ὅταν ὁ ἐγκαλούμενος ἐν τῷ δικαστηρίῳ ὀμωμόκει πρὸ δίκης καὶ ὁ ἐνάγων αὐτὸν ἀντωμωμόκει αὐτὸν εἶναι τὸν λῃστήν.[1])

Quodsi etiam accusantis iusiurandum ἀντι-ωμοσία appellabatur, eo non est quod offendamur. Comparemus cum voce ἀντιδικεῖν (τῶν ἀντιδικούντων ἑκατέρων) loci Plat. supra cit.,[2]) quae et ispsa non solum ad eum, unde petebatur, verum etiam ad illum, qui accusabat, attinet. Hoc igitur ratum et exploratum est.

Difficilius sane est cognitu, quid continuerit ἀντωμοσία. Nulla enim formula antomosiae servata ad nostram memoriam pervenit. Quare per quos deos partes iuraverint, quam exsecrationem iuriiurando adiunxerint, cum earum rerum ab oratoribus quoque nunquam mentio fiat, ignoramus. Tamen ex iis, quae supra[3]) de totius huius generis iurisiurandi origine et fine exposuimus, eandem quam diomosiae diximus naturam et vim fuisse antomosiae, h. e. solum assertoriam antomosian fuisse concludere nobis licet. Qua de re aliter sensit Lipsius,[4]) cum non solum totum ius partes iurando confirmasse, sed etiam se verum dicturas in probatione promisisse statueret. Cui opinioni vel maxime id obstat, quod praeter antomosian saepius in eadem causa iusiurandum argumentorum confirmandorum gratia a partibus adhibitum esse ex oratoribus co-

---

[1]) Addo locum Isaei. in or. de Astyph. her. 34: ἀντωμόσαμεν.

[2]) Supra p. 20.

[3]) Supra p. 19/20.

[4]) Lips. p. 828.

gnoscimus.[1]) Ex hoc efficitur antomosian non pertinuisse ad singula argumenta, quibus tota causa probaretur. Iam supra perstrinximus (p. 11) antomosian oratorum aetate omnino non iam multum valuisse; immo solum necessaria accusandi et defendendi formula videtur fuisse,[2]) qua quasi suis finibus circumscriberetur causa. Quod concludere possumus ex locis, quibus mentio fit antomosiae.

Legimus antom. ap. Isae. de Dicaeog. her. 4: Ὅτι (μὲν γὰρ) Δικαιογένης ὡμολόγει παραδώσειν ἡμῖν ὧν κατέλιπεν ὁ Μενέξενος τὰ δύο μέρη, ἡμεῖς μάρτυρας παρεχόμεθα, καὶ ὅτι Λεωχάρης ἠγγυήσατο αὐτὸν ταῦτα ποιήσειν· καὶ γὰρ δικαζόμεθα διὰ τοῦτο, καὶ ταῦτα ἀντωμόσαμεν. Καί μοι ἀνάγνωθι τὴν ἀντωμοσίαν. Hoc loco antomosia ob eam solam causam recitatur, ut iudices, quae res agantur, intellegant, cum adversarii etiam de aliis rebus se defendant, ut ex verbis sequentibus apparet; nec tamen ut argumento nititur, qui orationem dicit, antomosia.

Similiter alio loco res se habet apud eundem in or. de Pyrrh. her. 6: περὶ (γὰρ) αὐτοῦ τούτου ὁ διαμαρτυρήσας τὴν τῶν ψευδομαρτυριῶν δίκην ἠγωνίζετο, πότερον ἐξ ἐγγυητῆς ἢ ἐξ ἑταίρας ἡ ἀμισβητοῦσα τοῦ κλήρου τῷ θείῳ γυναικὸς εἴη, γνώσεσθε δ᾽ ἀκούσαντες καὶ ὑμεῖς τῆς τε ἀντωμοσίας τῆς ἡμετέρας καὶ τῆς τούτου μαρτυρίας καὶ τῆς ἁλούσης διαμαρτυρίας; videmus recitari hanc antomosian, ut iudices res priore quadam causa iudicatas noscant.

Cernimus igitur antomosian idem fere valuisse quod ἀντιγραφήν, idque spectasse iusiurandum additum, ne ullius rei a iudicibus haberetur ratio nisi quae iureiurando confirmata esset.

Comprobari videtur hoc etiam vel maxime loco illo ap. Isocr.:[3]) τὰς (μὲν γὰρ) δίκας ὑπὲρ τῶν ἰδίων ἐγκλημάτων λαγχά-

---

[1]) Cf. infra p. 25 ss.

[2]) Cf. etiam Heffter. p. 299 et Ziebarth. p. 43.

[3]) Isocr. de Zeugit. 2.

νουσι, τὰς δὲ κατηγορίας ὑπὲρ τῶν τῆς πόλεως πραγμάτων ποιοῦνται, καὶ πλείω χρόνον διατρίβουσι τὸν πατέρα μου διαβάλλοντες ἢ περὶ ὧν ἀντώμοσαν διδάσκοντες.

Quod si recte disseruimus, id quoque manifeste apparet antomosian iam in anacrisi, non apud iudices demum, esse praestitam; et modo recitatam esse apud iudices cognovimus; nunc autem, qui recitabantur in iudicio libelli, eos iam in causae cognitione in acta relatos esse novimus; ergo in cognitione causae antomosia dabatur.

Quando autem in anacrisi praestita sit, accurate possumus enucleare nisi Isaei quodam loco. Invenitur autem in or. de Dicaeog. her. 16: μελλόντων δ' ἡμῶν ἀντομεῖσθαι [1]) διεμαρτύρησε Λεωχάρης; cum igitur reus, εἰςαγώγιμον εἶναι τὴν δίκην' negaret, post hanc diamartyriae actionem antomosian datam esse elucet, cum partibus εὐθυδικίᾳ litigantibus initio cognitionis causae daretur.

Quaeritur, num idem cadat in diomosian. Qua de re abhinc plus quam centum annos ad persuadendum accommodate scripsit vir ingenio acutissimus Luzacius [2]) Qui loco illo ex lexico rhetorico sumpto: „διωμοσία ὅρκος ἐστίν, ὃν ὤμνυον οἱ φόνου ἀγῶνα διώκοντες ἢ φεύγοντες· ἀμφότεροι γὰρ ὤμνυον μετὰ τὸ εἰπεῖν τὸν πρότερον λόγον· ὁ μὲν ἦ μὴν ἀληθῆ κατηγορηκέναι καὶ δικαίως, ὁ δὲ ἦ μὴν ἀληθῆ ἀπολελογῆσθαι καὶ δικαίως· ὤμνυον δὲ καὶ πρὶν εἰπεῖν τὸν αὐτὸν ὅρκον ἀμφότεροι, ἐπενεχθείσης ἤδη τῆς ψήφου, εἰ μὴ δικαίως νενικηκέναι, [3]) ἐξώλειαν ἑαυτῷ ἐπαρώ-

---

[1]) Cf. supra p. 15.

[2]) Exercitat. acad. specim. tert. L. B. 1793, p. 177 ss.

[3]) Quod vitium manifestum ita correxit Luzacius, ut scriberet: καὶ ἐπενεχθείσης ἤδη τῆς ψήφου ὁ νικῶν δικαίως νενικηκέναι, εἰ μή, ἐξώλειαν ἑαυτῷ ἐπαρώμενος, εἰ ἐξηπάτησεν. Sed εἰ μὴ (scil. δικαίως ἐνίκησεν) idem valere quod εἰ ἐξηπάτησεν nec duas sententias eundem in modum compositas aptas esse posse ex uno verbo ἐπαρώμενος quis non videt? Itaque ego

μενος, εἰ ἐξηπάτησεν“, triplicem arbitratus est διωμοσίαν fuisse; et habemus, cur ei magis credamus quam ceteris omnibus, qui ad hoc tempus disputaverunt de diomosia. Primum enim illa glossa ceteris multo est probabilior, cum auctor eius aut bene iuris Attici scientia instructus fuisse aut ex fonte puriore atque uberiore hausisse videatur; neque enim confinxisse eum haec putabimus; tum quod traditur causae victorem etiam latis suffragiis iurasse idem iusiurandum, id quidem comprobatur loco Aeschinis: ἢ πῶς οὐκ εἰκότως οἱ πατέρες ἡμῶν ἐν ταῖς φονικαῖς δίκαις κατέδειξαν τέμνοντας τὰ τόμια τοὺς νικῶντας τῇ ψήφῳ ἐξορκίζεσθαι — καί τοῦτο ὑμῖν πάτριόν ἐστιν καὶ νῦν — τἀληθῆ καὶ τὰ δίκαια ψηφίζεσθαι τῶν δικαστῶν, ὅσοι τὴν ψῆφον ἤνεγκαν αὐτῷ, καὶ ψεῦδος μηδὲν εἰρηκέναι, εἰ δὲ μή, ἐξώλη εἶναι αὐτὸν ἐπαρᾶσθαι καὶ τὴν οἰκίαν τὴν αὐτοῦ;[1]) quo in loco non est cur addubitemus.

Deinde id quoque facile adducimur ut credamus post priorem orationem partes iurasse, cum, si ita credimus, facile perspicere illud possimus, cur in ipsis caedis causis non licuerit uti iureiurando ad hanc vel illam rem probandam,[2]) ut aut accusator convinceret reum facti aut reus iniuste illum se accusasse demonstraret; quippe quoniam vera se protulisse cogebantur post priorem orationem iurare.

Quae cum ita sint, recte rem illum exposuisse veri simillimum est; id solum quis miretur etiam primam diomosiae partem ipso die iudicii iuratam esse, cum iam tot dies in cognoscenda causa consumpti essent.

Restat, ut addam nullum oratorum locum obstare opinioni existimantium omnibus, quicunque litigabant, causam lege

---

sic corrigendum esse puto: καὶ ἐπενεχθείσης ἤδη τῆς ψήφου ὁ νικῶν ἦ μὴν δικαίως νενικηκέναι, ἐξώλειαν ἑαυτῷ ἐπαρώμενος, εἰ ἐξηπάτησεν; cf. supra: ἦ μὴν ἀληθῶς καὶ δικαίως κατηγορηκέναι!

[1]) Aeschin. or. de fals. legat. 87.

[2]) Cf. Philippi p. 91.

coactis iureiurando confirmandam fuisse[1]) Sed hactenus de litis, quam vocabam, obtestatione.

Iam veniamus ad alterum in iure et iudicio genus iurandi partium, ad iusiurandum per πρόκλησιν, quae dicebatur, datum. Cum enim argumenta ad probationem aut non suppeditabant aut non sufficiebant, etiam tunc a partibus iusiurandum adhiberi poterat. Cum autem nostrum ius ita constitutum sit, ut etiam penes iudicem sit, si necessitas postulet, partes iurando constringere, apud Athenienses partium solarum erat aut offerre aut deferre iusiurandum.

Atque offerebatur sic, ut nihil ex lege valeret, nisi is, cui offerebatur, permittebat;[2]) si non permittebat, non dubitaveris, quin id non ei nocuerit; quippe facile habebat, quae excusationis causa proferret, velut si adversarii nequitiam impietatemque omnibus esse notam dicebat;[3]) sin concedebat, iusiurandum argumenti loco valuisse consentaneum est.

Tum ita deferebatur, ut alter aut acciperet aut reiceret; si nolebat accipere, referre poterat ei, qui detulerat; cum autem diffidens illi non referebat, sed reiciebat, qua de re iurandum ei fuisset, de ea iudices fidem non ei habuisse clarum est; sed ob eam causam haud omnino litem amisisse eum contra Hudtwalckerum disertissime Heffterus[4]) et Platnerus[5]) docuerunt.

Iam id ipsum usu veniebat, ut is, qui iusiurandum offerebat, et simul deferret, adversarius aut hoc aut illud ac-

---

[1]) De diomosia cf. Antiph. de Her. caede 11; antomosia autem appellabatur etiam ipse accusationis libellus (Isae. de Pyrrh. her. 6, de Dic. her. 4), ex quo apparet cum unaquaque causa eam fuisse coniunctam.

[2]) Cf. Dem. or. c. Aphob. III, 54, or. in Timoth. 65.

[3]) Velut in Dem. or. in Tim. 65 ss.

[4]) Cf. eius libr. p. 314, ss.

[5]) I, p. 248 ss.

ciperet, et id, ut is, cui offerebatur ab altero iusiurandum, et ipse offerret; qua de re cf. Lips. p 899 n. 378;

denique non iis tantum, qui agebant, verum aliis quoque, qui ab hac vel illa parte stabant, offerri aut deferri poterat iusiurandum, cf. Lips. n. 397.

Exposui fere breviter haec, ut plenus sit et totus libellus hic, ut in Lipsii libro docte sunt disputata. Sed alia exsistit quaestio, de qua ille neglexit disserere. Ut enim cetera litis instrumenta, sic etiam iuraiuranda in acta relata die iudicii tradenda iudicibus fuisse dicit; at videtur putasse non evenisse, ut etiam iudicii die partes eiusdem modi iusiurandum offerrent aut deferrent; eum secutus est Philippi, cum unam anacrisin commemoret.[1]) Ego autem saepius etiam in ipso iudicio esse iuratum arbitror. Quod colligo ex hoc loco Isaei (de Astyph. her. 24): δοκεῖ δέ μοι κἂν ὀμόσαι ἄσμενος, εἴ τις αὐτῷ ὅρκον διδοίη; Hierocles enim iste et ipse petebat vel a parte petentis stabat. Cum autem deferri ei posset iusiurandum, etiam, ut iuraretur, permissum esse concludimus. Cf. etiam loc. de Hagn. her. 6, de quo supra p. 12 ss. disseruimus.

Ceterum etiam testes[2]) haud raro in iudicio demum iurabant; cur autem illi iurarent, partes non item?

Iurabant igitur, ut secundum accusationem vel defensionem necessitas postulabat.

Deferenti autem iusiurandum licebat etiam praecipere formulam iurandi. Quod ex multis manifestum est locis, velut legimus in Dem. or. c. Calipp. § 28: ἀνάγκη αὐτῷ ἔσται πίστιν ἐπιθεῖναι, ἣν ἂν κελεύῃ οὗτος, in or. c. Aphob. III, 52: ἂν ἀπομόσῃς τἀναντία τούτων κατὰ τῆς θυγατρός, in or. c. Neair. 60: προκαλοῦνται αὐτὸν οἱ γεννῆται πρὸς τῷ διαιτητῇ ὀμόσαι κατὰ

---

[1]) Cf. libr. eius p. 88.

[2]) Cf. Lips. p. 886, ss.

ἱερῶν τελείων,[1]) et in or. c. Onet. II. 9: ἄξιον τοίνυν καὶ τὸν ὅρκον, ὁποῖον τιν' ἂν ὤμοσεν, εἴ τις ἔδωκεν, ἐκ τούτων ἰδεῖν. Quod cum Lipsius et ipse affirmarit, si quis suapte sponte iusiurandum adversario offerebat, tum ea formula eum uti coactum esse suspicatur, quae ipsa lege legitima (νόμιμος) praescripta fuisset. Ita autem ut statueret, ea commotus est causa, quod falso iudicavit de illo „νομίμῳ ὅρκῳ“, cuius mentio fit in Dem. or. in Callicl. 35: ἕτοιμοι ἦμεν ὀμνύναι τὸν νόμιμον ὅρκον. Quod iusiurandum quale sit intellegendum, rectius, cum alium apud eundem locum examinaverimus, cognoscemus. Est autem in or. in Conon. 40: ὁ μηδ' εὔορκον μηδὲν ἂν ὀμόσας, κατὰ δὲ δὴ παίδων ὧν μὴ νομίζετε μηδ' ἂν μελλήσας, ἀλλὰ κἂν ὁτιοῦν παθὼν πρότερον, εἰ δὲ ἄρ' ἀναγκαῖον, ὀμνύων ὡς νόμιμον, [(idque) κατ' ἐξωλείας αὑτοῦ καὶ γένους καὶ οἰκίας,] ἀξιοπιστότερος τοῦ κατὰ τῶν παίδων ὀμνύντος καὶ διὰ τοῦ πυρός. Res enim sic sese habet: Accusator cum iudices certiores fecisset audivisse se ab aliis adversarium suum sine ulla pietate, quae apud iudices sui defendendi causa pronuntiaturus esset, atrocibus horribilibusque iuramentis et detestationibus aucturum ac confirmaturum esse, demonstrare conabatur illius mores eos esse, ut minime peierare vereretur. Nunc autem iurare illi per legem ut supra docuimus, non licebat, nisi hic „ἐδίδου ὅρκον αὐτῷ.“ Ergo, si nihilo minus orationi suae adiungebat iuramenta, ea non erant numeranda in argumentis lege iussis vel permissis, sed idonea tantum ad iudicum animos corrumpendos. Hac igitur de causa hic nullius momenti esse ista iuramenta iudicibus persuadere conatus, quis ipsius mos et consuetudo sit, aperit. Solere enim se non temere et impie deos testes invocare, immo vero nunquam nisi secundum legem necessarium sit, iurare, h. e. secundum morem legitimum. Hoc se iusiurandum legitimum isti obtulisse (ταῦτα ἐγὼ ἠθέλησα ὀμόσαι).

---

[1]) Hos locos etiam ap. Lipsium invenis, p. 900/01.

Apertum est igitur illud ὡς νόμιμον non ad formulam iurandi, sed ad iurandi ius et officium lege constitutum spectare, h. e. ad προκλήσεως, quae dicebatur, rationem. Sic etiam iudices de loco ex or. in Callicl. citato.

Quod vero Lipsius,[1]) ut confirmet sententiam suam, locum petit illum ex Andocidis myst. 98: ταῦτα δὲ ὀμοσάντων Ἀθηναῖοι πάντες καθ' ἱερῶν τελείων, τὸν νόμιμον ὅρκον, πρὸ Διονυσίων, hoc quidem non persuadet nobis, cum istud iusiurandum omnino extra iudicium praestandum fuerit.

Verisimile autem est eum, qui iusiurandum offerebat, simul etiam formulam, qua uti paratus promptusque esset, addixisse, alterum aut accepisse, quale offerebatur, aut reiecisse.

Qua in re haud alienum sit affere etiam feminis licuisse illum in modum iurare.[2]) Nam cum nulla apud Athenienses mulier ad testimonium dicendum admitteretur,[3]) in iureiurando solo feminarum partes multarum rerum spem poterant collocare. Cuius rei cum exempla permulta sint, quae unquam causa fuerit, cur femina libera iurando prohiberetur, ignoramus. Nam Platnerus[4]) admonet spectare omnia illa exempla ad lites ab arbitris iudicatas, nec se audere diiudicare, num etiam in causis ceteris mulieres ad iurandum sint admissae, itaque pergit dicere: „Merkwürdig ist es, dass der Sohn, welcher bei Antiphon[5]) seine Mutter wegen eines Giftmordes verteidigt, für diese schwört, er wisse es, dass sie unschuldig sei." Recte autem locum intellegentibus minime mira res videatur. Neque enim filius dandi argumenti causa iuraverat,

[1]) Cf. Lips. p. 901.

[2]) Cf. Lips. p. 900 n. 381.

[3]) Cf. Lips. p. 876.

[4]) Cf. Platn. p. XXXVIII.

[5]) Antiph. or. in nov. de venef.: θαυμάζω δὲ ἔγωγε τῆς τόλμης τοῦ ἀδελφοῦ καὶ τῆς διανοίας, τὸ διομόσασθαι ὑπὲρ τῆς μητρὸς εὖ εἰδέναι μὴ πεποιηκοῖαν ταῦτα.

sed ad causam confirmandam diomosian praestiterat, cuius vim supra exposuimus; cum autem feminae in iudiciis agere non liceret, sed tutor quivis cognatus (κύριος) eius causam defenderet, eundem quoque de iure toto iusiurandum dedisse consentaneum est; neque enim quisquam iniuratus ἀντίδικος — sic enim appellatur filius in § 5 — poterat exsistere.

Nec colligere possumus ex hoc loco, qui invenitur in Isaei or. de Pyrrh. her. 6: „γνώσεσθε δ' ἀκούσαντες καὶ ὑμεῖς τῆς τε ἀντωμοσίας τῆς ἡμετέρας καὶ τῆς τούτου μαρτυρίας κτλ," cum hic is, qui accusat, de se loquatur et de matre sua, etiam matrem antomosian praestitisse. Nam ita iudicabimus de hoc loco ut de verbis praecedentibus ἐπισκηψάμενοι δὲ ἡμεῖς καὶ εἰς ὑμᾶς εἰσαγαγόντες τὸν διαμαρτυρῆσαι τολμήσαντα κατὰ ταῦτα, ἐκεῖνόν τε ἐξελέγξαντες περιφανῶς τὰ ψευδῆ μεμαρτυρηκότα τὴν τῶν ψευδομαρτυριῶν δίκην εἵλομεν παρ' ὑμῖν, καί τουτονὶ Νικόδημον παραχρῆμα ἐξηλέγξαμεν ἐν τοῖς αὐτοῖς δικασταῖς κτλ.; nam apparet matrem non et ipsam in iudicium prodire potuisse; utitur autem orator numero plurali, quod causa imprimis erat matris, cum filii ut κυρίου esset eam defendere.

Aliter vero alio loco res se habet, quem leg. in Dem. or. contra Euerg. et Mnesib. 70: ὥστ' εἰ διομεῖ ἐπὶ Παλλαδίῳ αὐτὸς καὶ ἡ γυνὴ καὶ τὰ παιδία καὶ καταράσεσθε αὐτοῖς καὶ τῇ οἰκίᾳ, χείρων δόξεις πολλοῖς εἶναι; videmus, si haec causa acta esset, etiam uxorem ac liberos (filium togatum § 73) diomosian praestaturos fuisse; nec tamen dubium est, quin uxor tantum argumentum praebere iurando potuerit, filius testis iuratus futurus fuerit, cum fuisset patris familiae de causa tota iurare; quodsi orator dicit § 69: ἐπειδὴ αὐτὸς μὲν οὐ παρεγένου, ἡ δὲ γυνὴ καὶ τὰ παιδία, ἄλλοι δέ σοι μάρτυρες οὐκ εἰσιν, non inde licet conicere feminam testimonium dicere ac iurando confirmare potuisse; illi enim μάρτυρες non sunt nisi testes facti, sed non iidem testes ad testimonium in iure dicendum vocandi vel admittendi.

Quo loco etiam plane convincimur nullum discrimen fuisse, utrum in causa ab arbitro an ab alio iudice decidenda femina iuraret.

Restat, ut de singulari quodam προκλήσεως exemplo pauca disputem, quod est in Dem. or. in Apatur. 13 ss.: ἐνεστηκυίας (δὲ) τῆς δίκης δίδωσιν ὁ Παρμένων ὅρκον τούτῳ περί τινων ἐγκλημάτων, καὶ οὗτος ἐδέξατο, ἐπιδιαθέμενος ἀργύριον, ἐὰν μὴ ὀμόσῃ τὸν ὅρκον. Δεξάμενος τοίνυν τὸν ὅρκον, εἰδὼς ὅτι πολλοὶ αὐτῷ συνείσονται ἐπιορκήσαντι, ἐπὶ μὲν τὸ ὀμόσαι οὐκ ἀπήντα, ὡς δὲ δίκῃ λύσων τὸν ὅρκον προςκαλεῖται τὸν Παρμένοντα.

Lipsius,[1]) qua ratione Apaturios iusiurandum, quod acceperat, fugere potuerit, nescire se dicit. Quod autem Platnerus[2]) istam παραγραφήν de iisdem criminibus fuisse putat, id ex oratione nullo modo colligere possumus; sed ne tum quidem, si ita res fuisset ac victor eius causae Apaturius discessisset, iureiurando solutus esset, cum Parmenontis causa et ipsa, nec tamen una cum Apaturi, esset peracta[3]) et iurandum Apaturio fuisset. Ego sic existumo ea mente Apaturium adversarium παραγραφῇ accusavisse, ut compromissi sibi spes fieret; ita enim etiam iurisiurandi, quo illi in priore causa devinctus erat, praestandi necessitas solvebatur. Ac revera convenisse inter eos compromissum ex sequentibus verbis videmus: ἐνεστηκυιῶν δ' αὐτοῖς τῶν δικῶν πεισθέντες ὑπὸ τῶν παρόντων εἰς ἐπιτροπὴν ἔρχονται.

Nunc quaestionem instituamus de testium iuramentis. Ac primum quidem his, cum testimonium dicere recusabant, ius erat praestare iusiurandum sollemne[4]) se nihil scire eorum,

---

[1]) Cf. Lips. p. 902.

[2]) Cf. Platn. II p. 251.

[3]) Cf. Lips. p. 860.

[4]) Cf. Lyc. c. Leocr. 20: λαβόντας τὰ ἱερὰ κατὰ τὸν νόμον ἐξομόσασθαι.

de quibus testimonium exigeretur. Hoc autem iusiurandum appellabatur ἐξωμοσία (ἐξόμνυσθαι).[1]) Si omittebant testes ἐξωμοσίαν, is, qui vocaverat testem aliquem, accusare poterat per δίκην βλάβης sive λιπομαρτυρίου aut iterum per praeconem ante iudices citare, ut aut testimonium diceret aut iuraret ἐξωμοσίαν. Quae cum satis perspicue explicata sint a Lipsio,[2]) parum liquet, num etiam apud quaesitorem ἐξωμοσίαν praestare testis cogi potuerit. Quod, nisi arbitri causam cognoscebant,[3]) evenisse ob eam rem negaverim, quod apud iudices testes per praeconem citandi (καλεῖν) erant ac tum demum, nisi prodibant, κλήτευσις sollemnis sive ἐκκλήτευσις[4]) a partibus in eos adhiberi poterat.

Ubi vero haec ἐξωμοσία praestanda fuerit, Aristotelis quodam loco gravissimo docemur; est autem in libr. de republ. Athen. c. 55, 5: δοκιμασθέντες δὲ τοῦτον τὸν τρόπον βαδίζουσι πρὸς τὸν λίθον ἐφ' ᾧ τὰ τόμι' ἐστίν, ἐφ' οὗ καὶ οἱ διαιτηταὶ ὀμόσαντες ἀποφαίνονται τὰς διαίτας, καὶ οἱ μάρτυρες ἐξόμνυνται τὰς μαρτυρίας, ἀναβάντες δ' ἐπὶ τοῦτον ὀμνύουσιν δικαίως ἄρξειν;

---

[1]) Cf. locos collectos ap. Ott. p. 87.

[2]) Cf. Lips. p. 881 ss.

[3]) Lips. p. 888.

[4]) Hoc loco moneam rectissime Lipsium (p. 882) disseruisse nihil aliud interesse inter verba κλητεύειν et ἐκκλητεύειν quam quod iam Thalheimius statuit (N. Jahrb. f. Philol. CXV, p. 860 ss.); sed quam Harpocrationis glossae: ἐκκλητεύειν τὸ εἰς κρίσιν ἄγειν, ἵνα ἐπάναγκές τις μαρτυρῇ, Lipsius praebet interpretationem, cum dicat hunc grammaticum sibi videri putasse κλήτευσιν ipsum quoddam genus fuisse accusationis, hanc prorsus falsam esse existimo. Nam Harpocratio addit, cuius loci dederit hanc explicationem Αἰσχίνης ἐν τῷ περὶ τῆς παραπρεσβείας λόγῳ; est autem locus ille Aeschinis hic: κάλει δέμοι 'Αμύντορα 'Ερχιέα, καὶ ἐκκλήτευε, ἐὰν μὴ θέλῃ δευρὶ παρεῖναι. Cum autem ille dicat ἐκκλητεύειν (sc. ἐστίν) τὸ εἰς κρίσιν ἄγειν, Lipsii explicatio minime conveniat in praeconem; equidem puto Harpocrationem falso de verbis δευρὶ παρεῖναι iudicantem sic ea intellexisse, ut valerent „in iudicium trahere"; nisi igitur, inquit, testis adesset, a praecone in iudicium traheretur; Aeschines autem solum, ut „εἰς τὸ βῆμα", ex quo testimonia dicebantur, prodeat testis, exigit.

istum autem λίθον, „ἐφ᾽ οὗ οἱ μάρτυρες ἐξόμνυνται τὰς μαρτυρίας," in foro situm fuisse idem nos docet in c. 7 eiusdem libri. Sed ille λίθος quis et qualis fuit? Fuerunt,[1]) qui eundem λίθον esse putarent atque βωμόν loco ducti illo Demosthenis, qui est in or. in Con. 26: ἐποίησαν μὲν γὰρ ἔξω μέσων νυκτῶν τὴν ὥραν . . . . . . καθ᾽ ἕνα οὑτωσὶ πρὸς τὸν βωμὸν ἄγοντες καὶ ἐξορκίζοντες: hunc enim locum ita tradunt Harpocration et Suidas: πρὸς τὸν λίθον ἄγοντες καὶ ἐξορκίζοντες; nec tamen ex ea re concludere licet eosdem fuisse λίθον et βωμόν; nam cum fati benignitate factum sit, ut inveniretur Aristotelis de republica Atheniensium libellus, ipsa respicientes illa verba ἐφ᾽ οὗ καὶ οἱ διαιτηταὶ ὀμόσαντες, imprimis illa ἀναβάντες δ᾽ ἐπὶ τοῦτον ὀμνύουσιν negabimus ipsam aram fuisse λίθον, immo rupem quandam dicemus sive natura sive arte effectam, in qua posita ara erat; nam bene comparabimus hunc λίθον cum λίθῳ in πυκνὶ locato.

Iam veniamus ad ipsa testimonia iureiurando confirmanda. Qua de re haec Platnerus profert: „Die Verbindlichkeit der Zeugen zur Ableistung eines Eides gehört allerdings zu den vielen zweifelhaften Punkten des attischen Rechtes." At ego censeo vix quidquam tam accurate posse cognosci ex orationibus Atheniensium iudicialibus, quae quidem ad nostram memoriam permanserunt, quam quale iurisiurandi praestandi testium fuerit officium et ius. Ac primum quidem illud mihi manifestum esse videtur, cum tantum differret partium iusiurandum in causa homicidii datum ab eo, quod de rebus ceteris dabant, testes quoque varie varia in re iurando esse astrictos. Neque enim dubium est, quin in capitalibus causis testibus lege iusiurandum impositum sit; quod luculentissime demonstrabimus his locis: Antiphon. in or. de Her. caede 12 haec exhibet: δέον αὐτοὺς (sc. τοὺς μάρτυρας) τὸν αὐτὸν ὅρκον

[1]) Cf. Lips. p. 886 n. 334.

σοι διομοσαμένους καὶ ἁπτομένους τῶν σφαγίων καταμαρτυρῆσαι ἐμοῦ, et Lys. in or. IV, 4: καὶ ὅτι ἀληθῆ ταῦτα λέγω, Φιλῖνος καὶ Διοκλῆς ἴσασιν· ἀλλ᾿ οὐκ ἔστιν αὐτοῖς μαρτυρῆσαι μὴ διομοσαμένοις περὶ τῆς αἰτίας, ἧς ἐγὼ φεύγω. Simul hoc quoque discimus ex his locis testes ante dictum testimonium ad iusiurandum adactos esse, h. e. iusiurandum promissorium iuravisse. Cum igitur hoc vel exploratissimum sit, quaeritur, quae ceteris in causis fuerit ratio. In quibus testes non ex lege iurasse Lipsius[1]) manifeste docuit, cum nisi a partibus iusiurandum exigeretur, iurando non esse constrictos (Platnerum secutus)[2]) statueret. Attamen gravissimi ponderis rem in hac quaestione solvenda neglexerunt viri docti. Neque enim solum usu veniebat, ut partes a testibus iusiurandum exigerent vel ut rectius dicam eis deferrent, verum etiam ut ipsi testes de dicto testimonio partibus iusiurandum offerrent, velut ap. Isae. in or. frg. pro Euphil. frater rei, pro quo testimonium praestiterat (§ 4) hoc dicens inducitur § 10: ἕτοιμος δὲ εἰμὶ ὀμόσαι ἦ μὴν Εὐφίλητον τουτονὶ ἀδελφὸν εἶναι ἐμαυτοῦ ὁμοπάτριον, et ap. Dem. leg. in or. c. Aphob. 54: οὐ τοίνυν ἐγὼ μὲν ταῦθ᾿ ἕτοιμος ἦν, οἱ δὲ μάρτυρες οὐ τὴν αὐτὴν γνώμην εἶχον, ἀλλὰ κἀκεῖνοι παραστησάμενοι τοὺς παῖδας, ὑπὲρ ὧν ἐμαρτύρησαν, πίστιν ἐπιθεῖναι ἠθέλησαν κατ᾿ ἐκείνων. Ouod autem longe summum est hac in re, ex ipso hoc loco cernimus testibus, cum offerent iusiurandum, non licuisse lege iurare, nisi partes permittebant, nam sequuntur verba: ὁ δ᾿ οὔτε ἐκείνοις οὔτ᾿ ἐμοὶ δοῦναι τὸν ὅρκον ἠξίωσεν. Nam corrupti esse poterant testes pecunia vel studiosi alia aliqua ex causa, velut affinitate (cf. supr.) partium adversarii. Denique, ut breviter haec comprehendam: similem inter testes et partes iurisiurandi rationem his in causis fuisse atque inter ipsas partes,

---

[1]) Lips. p. 885 et 886.

[2]) Recens. p. 1391.

hoc est πρόκλησιν εἰς ὅρκον, quae vocabatur, valuisse apparet.[1])

Addenda mihi pauca sunt de formulis, quibus et testes et partes in προκλήσει utebantur. Atque hac in re id vel alienissimum est a more nostro, quod Graeci antiqui non de unaquaque re una eademque iurandi formula utebantur; ut enim crimen aliquod maius agebatur, ita sollemniter iurabant; leviore de causa leviora dicebant iuramenta,[2]) quasi minus ita veritate obstringerentur deorumve minus iram provocarent peierantes.

Saepissime autem hunc in modum iurabant:

1) κατὰ τῶν παίδων vel τοὺς παῖδας παραστησάμενοι vel πίστιν ἐπιθέντες κατὰ τῶν παίδων;[3])
2) καθ' ἱερῶν τελείων[4])
3) κατ' ἐξωλείας αὐτοῦ καὶ γένους καὶ οἰκίας,[5]) quod maximum sanctissimumque habebatur iusiurandum (διωμοσία).

Is autem, unde iusiurandum exigebatur, ad aram quandam, ubi tactis hostiis iuraret, ab eo, qui exigebat, ducebatur. Quod ex compluribus locis licet colligere.[6])

---

[1]) Quaesierit quis, quid acciderit, cum quis testis iusiurandum delatum reiciebat. Huic, ne ψευδομαρτυριῶν accusaretur, periculum fuisse facile intellegas. (Cf. Dem. or. in Euerg. et Mnesib.; qui ob eam potissimum causam ψευδομαρτυριῶν accusati erant, quod πρόκλησιν quandam εἰς βάσανον spreverant.) Assertorium enim iusiurandum erat, id quod elucet ex locis p. 33 allatis.

[2]) Cf. supra p. 10 s.; cf. etiam Dem. or. in Timoth. § 65: εἰ μὴ ᾔδειν αὐτὸν πολλοὺς καὶ μεγάλους ὅρκους ἐπιωρκηκότα . . ., ἔδωκ' ἂν αὐτῷ τὸν ὅρκον.

[3]) Cf. Dem. c. Con. 40; c. Aphob. 26, 33, 52, 54; Lys. c. Diog. 13, alios.

[4]) Cf. Dem. c. Nair. 60.

[5]) Cf. Andoc. de myst. 126; Lys. c. Erath. 10; Aeschin. in Timarch. 114; alios.

[6]) Dem. or. in Con. 26; Andoc. de myst. 126; Aristot. de Ath. rep. c. 55,5 (cf. supra p. 31).

Iam vero dicendis iuribus iurandis testes quidam adesse solebant, nam cf. Dem. or. in Apat. 13 ss., eiusdem or. in Eubul. 22 ss., Andoc. de myst. 127 ss., locos alios.

Porro comparatis litis instrumentis dies tempusque constitutum est, quo in iudicium partes venirent. Cum autem facile accidere posset, ut unus aut alter litigantium die iudicii sive morbo sive itinere sive alia aliqua ex causa, quominus veniret, prohiberetur, is, qui impediebatur, misit quendam, qui causam, cur venire non posset, nuntiaret eamque suo nomine iureiurando confirmaret; quod iusiurandum appellabatur ὑπωμοσία; adversario licebat ἀνθυπόμνυσθαι (ἀνθυπωμοσία), cum ὑπωμοσίαν veram esse negabat. (Etiam ante cognitionem causae ὑπωμοσία poterit usurpari. Quamquam de ea re tam copiose tamque dilucide disputaverunt Hudtwalkerus et Lipsius, ut supervacaneum sit longum fieri in ea re retractanda. Sed de his hactenus.

Haec habui, quae de iureiurando in lite Attica decem oratorum aetate adhibito in medium proferrem. Nec minus late ex his, quae disputavi, in iudiciis iurisiurandi usum patuisse cernimus quam in vita cotidiana inque rebus publicis; nec mirum, cum nihil sine deorum advocatione et contestatione sibi suscipiendum Graeci putarent.

Nec tamen prius huic libello finem imponam quam quid vel maxime desideraverim in hoc Atheniensium instituto explicaro. Quod enim nulla lege periurio poena erat constituta, id, cum a nostrorum iudiciorum usu plane abhorreat, primum intuentem valde offendat. Atque illud ob eam causam pro certo possumus affirmare, quod ne unam quidem causam periurii, cum periuriorum permultorum atrocissimorumque mentio sit in orationibus oratorum Atheniensium, oratores comme

morent. Et si legimus, ut exemplis utar, illum locum Demosthenicum in or. c. Aristocr. 68: καὶ μετὰ ταῦθ' ὁ τὸν τοιοῦτον ὅρκον ὀμωμοκὼς οὔπω πεπίστευται, ἀλλ' ἐὰν ἐξελεγχθῇ μὴ λέγων ἀληθῆ, τὴν ἐπιορκίαν ἀπενεγκάμενος τοῖς αὑτοῦ παισὶν καὶ τῷ γένει πλέον οὐδ' ὁτιοῦν ἕξει, planissime patere videtur periurium ulcisci soli deorum curare fuisse permissum.[1]) Comprobatur id Xenophontis praeclarissimo loco, qui est in Anab. II, 7: πρῶτον μὲν γὰρ καὶ μέγιστον οἱ θεῶν ἡμᾶς ὅρκοι κωλύουσι πολεμίους εἶναι ἀλλήλοις· ὅστις δὲ τούτων σύνοιδεν αὑτῷ παρημεληκώς, τοῦτον ἐγὼ οὔποτ' ἂν εὐδαιμονίσαιμι· τὸν γὰρ θεῶν πόλεμον οὐκ οἶδα οὔτ' ἀπὸ ποίου ἂν τάχους φεύγων τις ἀποφύγοι οὔτε εἰς ποῖον ἂν σκότος ἀποδραίη οὔθ' ὅπως ἂν εἰς ἐχυρὸν χωρίον ἀποσταίη, πάντῃ γὰρ πάντα τοῖς θεοῖς ὑποχείρια καὶ πανταχῇ πάντων ἴσον οἱ θεοὶ κρατοῦσιν; is autem locus etsi non pertinet ad ipsa iuraiuranda in iudicio data, tamen verba τὸν γὰρ θεῶν πόλεμον οὐκ οἶδα κτλ. ita dicta videmus, ut ad quodlibet prorsus iusiurandum pertineant. Apud Romanos contra scimus periuro poenam esse impositam eamque durissimam exsecrationem.[2])

Quod cum ita esset, improbi sane ab initio piis erant superiores; nam verum est illud, quod Xenophanes[3]) ille tradit: οὐκ ἴση πρόκλησις ἀσεβεῖ πρὸς εὐσεβῆ, ἀλλ' ὁμοία καὶ εἰ ἰσχυρὸς ἀσθενῆ πατάξαι ἢ πληγῆναι προκαλέσαιτο.

Ac profecto ita apud Graecos paulatim in consuetudinem abisse periuria videntur, ut hunc in modum iudicet Cicero[4]): hoc dico de toto genere Graecorum: tribuo illis litteras, do multarum artium disciplinam, non adimo sermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam; denique etiam si qua sibi alia sumant, non repugno: testimoniorum religionem et

[1]) Cf. Lasaulx, Der Eid bei den Griechen, p. 199.
[2]) Cf. Danz, Der sacrale Schutz; p. 62 ss.
[3]) Cf. Aristot. ars rhet. I, 15.
[4]) Cf. Cic. or. pro Flacco 4, 9.

fidem nunquam ista natio coluit, totiusque huiusce rei quae sit vis, quae auctoritas, quod pondus, ignorat." Etsi concedimus Romanum virum nimis hoc loco suae causae ratione habita locutum esse, tamen non est dubium, quin Romani eo quidem genere Graecos longe superaverint. Etenim Fidei cultus a Romanis princeps ponebatur.

Qua in re hoc non est omittendum Graecis saepius fuisse occasionem vel potius incitamentum, ut ita dicam, periurii quam Romanis. Nam utrique parti omnium causarum initio iurandum fuisse supra docuimus; simul id quoque conati sumus demonstrare facile fieri potuisse, ut neuter periurus esset; quod negare vidimus Philippium, cum putaret Graecos nullum discrimen fecisse inter falsum iusiurandum, quod quis pie iurasset, et periurium a scienti prudenti commissum. Recte id quidem aliqua ex parte: neque enim curabant Graeci causa peracta, utrum quis iuste iurasset an impie, solis deis, ut modo vidimus, permittentes ulcisci eum, qui vere peierasset; si forte is, qui litem perdiderat, nihilo minus ex sui animi sententia iurasset, id quoque deis curae fore sperabant.

Erant sane hac in re Romani multo religiosiores; illi enim cum „iurisiurandi sacratione interposita" agebant, contra ac Graeci faciebant id solum quaerentes, uter pie an impie iuravisset nulla rei condemnandi habita ratione, nisi forte etiam apud Graecos Solonis temporibus ita iudicatum est.[1]) Qui autem apud Romanos falsum iusiurandum pie iuraverat, is piaculum commiserat, h. e. deos piamine sive piamento debebat placare, cum periurium inexpiabile esset, et exsecratio eo contraheretur.[2])

Tanto igitur maior Romanorum in hac iuris parte diligentia ac religio fuit quam Graecorum.

[1]) Cf. Ziebarth, p. 41.
[2]) Cf. Danz, p. 97 ss.

Auctor de vita sua.

Ego Carolus Mederle natus sum a. d. VII. Cal. Mart. anni 1873 in vico Suebico Hafenreuth. Postquam ludum ibi per sex annos frequentavi, in gymnasium Dillingense sum receptus, ubi per septem annos mansi. Unde in gymnasium Campodunense transmigravi ibique anno 1894 maturitatis testimonium accepi. Deinde universitatem Monacensem adii; magistris ibi usus sum Christio, Muellero, Woelfflino, Paulio, Heigelio, Furtwaenglero, Lippsio, Oberhummero: seminariis interfui Christii, Muelleri, Woelfflini. Quibus viris omnibus iustas ac debitas gratias refero. Anno 1897 priorem partem examinis philologici, anno 1899 alteram absolvi, anno 1900 Monachii cursui, qui vocatur, paedagogico interfui. Post magistrorum collegio progymnasii Schaeftlarnensis ascriptus sum.